



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

166. An Vicarius visitare possit diæcesim.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

nio, dum ipse non est sacerdos, non conveniunt AA. negant communis Navar. *conf. l. sub tit. de off. ordinar. in antiq. & conf. 10. sub tit. de dispens. impuer. in novis.* Salzedo ad Diaz. in *pract. c. 76. vers. 14. Sayr. in florib. decis. l. sub tit. de offic. ordin. Ceval. q. 604. n. 59. Cenedo pract. l. i. q. 30. n. 48. apud Barbof. l. c. n. 122. ad quos accedit Card. de Luca ad Trid. d. 26. n. 20. Affirmant è contra Barbof. l. c. ubi is: Dum mihi non consisterit de contraria decisione, de qua ipsi testantur, libenter amplector, tam Parochum quam Vicarium non sacerdotem validè matrimonio assistere, quod novissime post primam hujus tract. impressionem inveni tenere Basil. Pontium de matrim. l. 5. c. 11. n. 11. Quæ sententia Barbofæ ex eo firmari videtur, quod idipsum possit parochus non sacerdos; cum Vicarius non minus sit ordinarius quam parochus respectu omnium subditorum omnibus parochis Diocesis, & non minus sit parochus parochorum quam Episcopus.*

*Questio 163. An Vicarius quoque alteri sine speciali mandato concedere possit licentiam assistendi matrimonio sibi subditorum?*

**R**espondeo affirmative, modò is, cui committitur, sit sacerdos, quemadmodum parochus alteri committere potest hanc licentiam, sed non nisi sacerdoti. Card. de Luca. ad Trid. d. 26. n. 18. Ventrigl. l. c. Barbof. cit. n. 177. citatiq. ab eo AA. Si quidem ex facultate Tridentini *sess. 24. c. 1.* sibi concessa potest Ordinarius dare licentiam alicui sacerdoti assistendi matrimonio parochi loco sibi subditorum; Ordinarii autem nomine, ut sæpe dictum, venit quoque Vicarius Episcopi. Barbof. l. c. n. 116. unde Rota *decis. 176. n. 8. p. 1. recent.* censuit validum matrimonium contractum coram sacerdote alieno de licentia Episcopi. Et sic habet praxis quotidiana: & sic quoque Vicarius non sacerdos hanc licentiam assistendi concedere poterit. Card. de Luca l. c. n. 20.

*Questio 164. An suspensà jurisdictione Episcopi per excommunicationem aut suspensionem Vicarius validè assistat matrimonio, aut licentiam ei assistendi committat alteri?*

**R**espondeo affirmative; neutrum enim est actus jurisdictionis. Quòd si tamen Episcopus suspensus aut excommunicatus non toleratus intrinset Vicarium, aut parochus excommunicatus vice curatum, illè que assisteret matrimonio vel alteri committeret, nihil valeret; quia illa institutio est manifestus actus jurisdictionis, ac proinde facta ab excommunicato nihil valeret. Ita ferè Barbof. l. c. n. 119. citans Alterium de *conf. tom. 1. l. 1. d. 8. c. 6. Sauch. de matrim. l. 3. d. 30. n. 10.*

*Questio 165. An Vicarius sine speciali mandato dispensare possit in impedimentis matrimonii dirimentibus in casu, quo potest Episcopus?*

**R**espondet negativè Ventrigl. l. c. citans Sauch. de *matrim. l. 2. d. 40. n. 3. & 12.* Vide dicta supra de potestate Vicarii quò ad dispensandum in genere.

### PARAGRAPHUS IX.

De potestate Vicarii visitandi, celebrandi synodum & concursum, & dandi dimissorias.

*Questio 166. An Vicarius visitare possit Diocesim?*

**R**espondeo: Id illum non posse sine speciali

P. Leuen. Vicarius Episc. Tract. 1.

commissione Episcopi. Azor. *Instit. mor. p. 2. l. 3. c. 45. q. 4.* Barbof. de *potest. Episc. allegat. 54. n. 102. & alleg. 73. n. 28.* citans Rebuff. in *pr. tit. form. Vicar. n. 100.* Ugol. de *potest. Episc. c. 4. §. 7. vers. 3.* Narbon. de *appell. à Vicar. ad Episc. p. 1. n. 224.* Fulc. de *visit. l. 1. c. 2. n. 18.* Sbroz. l. 2. q. 120. à n. 2. quos sequuntur Pirh. l. c. Pax Jord. l. 12. tit. 1. n. 206. Ventrigl. l. c. n. 22. citans insuper Meroll. *Th. mor. tom. 3. d. 7. c. 6. dub. 1.* Videtur enim visitatio Diocesis reservata Episcopo, qui regulariter visitare tenetur, juxta c. *Decernimus. c. Si Episcopus. de off. ordinar. in 6. Trident. sess. 24. c. 3.* Pirh. l. c. ex Sbroz. l. c. n. 3. quæ autem reservata sunt, non veniunt, nisi specialiter exprimantur. Sbroz. n. 4. citatis Abb. in *c. prudentiam. de off. delegat. col. 2.* Paris. *conf. 10. n. 7. in 4.* Possè autem Episcopum committere specialiter potestatem visitandi Diocesim, extra dubium est, cum competat illa ei jure ordinario. Sbroz. n. 7. citato Fulco de *visit. l. 1. c. 2. n. 18.* Cuch. *Instit. Jur. Can. de Episc. n. 106.* juxta c. *Si Episcopus. de off. ordinar. in 6. & Trid. l. c.* quod ipsum limitat Sbroz. n. 8. uti & Fagn. in *c. quoniam. de off. delegat. n. 27. in fine.* ubi Episcopus fuerit legitime impeditus juxta c. *Decernimus. c. si Episcopus. c. inter cetera. & Concil. Trid. sess. 24. c. 3.* Item n. 9. quòd Episcopus non nisi visitationem ad se spectantem committere possit Vicario, vel alteri, cui vult, c. *Decernimus. Trid. l. c.* non autem Vicarius possit facere visitationem quotidianam, quam facere consuevit Archidiaconus, quia hanc Episcopus non potest demandare alteri quam Archidiacono, juxta Gl. in *c. Episcopum. 10. q. 1. v. Annos. & Trid. l. c.* ubi Archidiaconi, Decani & alii inferiores in Ecclesiis, ubi visitationem exercere legitime consueverunt, debent assumpto Notario de consensu Episcopi per seipsos tantum (alia editio videtur vitiosa, dum habet tandem) ibidem visitare, adeoque exclusi videantur Episcoporum Vicarii, ponderando dictionem illam tantum, cujus natura est assumere illud, quod ponit, & excludere & negare aliud. Ita Sbroz. n. 10. & 11. Verùm tò tantum non videtur cadere supra Archidiaconos, Decanos, &c. sed super ibidem, ut ibi tantum visitare possint; cum Concilium mox subjiciat: *Sed non ideo Episcopus, vel eo impedito ejus visitator easdem Ecclesias seorsim ab his visitare prohibeatur, &c.* Vide super hoc ipso loco declarationes apud Joannem Gallemart. Porò Vicario visitanti tenetur Episcopus suppeditare necessaria extra vitium, nempe equos, familiam, aliisque; ipsi verò visitandi tenentur ei prestare expensas victualium. Sbroz. l. 2. q. 123. n. 1. citatis. c. *Si Episcopus. de off. ordinar. in 6. & ibi Gl. v. providere. c. inter cetera. de off. ordinar. juncta Gl. v. necessaria.* Vide de hoc l. c. Trid. ubi quò ad hoc omnia accuratè disponit.

*Questio 167. An Vicarius visitare possit monasteria, hospitalia, aliisque loca pia. Item Ecclesias exemptas, vel nullius Diocesis?*

**R**espondeo primò: Possè Vicarium Confraternitates Laicorum, hospitalia, collegia aliisque loca pia, de quibus Trid. *sess. 22. cap. 8.* etiam si prædictorum locorum jura ad laicos pertineant, visitare sine speciali mandato Episcopi. Etsi enim *cit. loc. Tridentinum* id concedat Episcopis, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, competeat tamen & ipsis jure ordinario à Tridentino, Fagn. in *c. quoniam. de off. delegat. n. 30.* quòd si tamen dicta loca exemptionis privilegio fuerint munita, ea sine speciali Episcopi commissione visitare non poterit. Fagn. *loc. cit. juncto num. 27.* Siquidem Decretum Trident.

F

dent.